



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Elisabethae promissis confisa, in Angliam se recipit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

ad excusandam Elisabethæ crudelitatem compositi, dicunt, Mariam non vltro, & sponte, sed vi & necessitate coactam in Angliam venisse, vt quæ subditorum armis premeretur, adeoque ad supplicium quæteretur: nec post aduersum prælium vllum tutum locum haberet, donec Ouerkingtonum, qui Angliæ in parte Occidentali portus est, appulisset. At falsum id esse multis conuinci potest: quum vel in Belgium vel in Galliam traiciendi Maria adhuc potestatem haberet. Omitto alia quæ ibidem habentur. Sed nihil putidius est, quam quod miseram exilem Angliæ coronam affectasse scribunt. Scilicet quæ suam tueri non poterat, & quæ vnus spurij conatibus inter suos obistere non poterat, in alieno regno, adeoque in ipso carcere eorum terræ miscebit? In eadem Apologia multa, sed valde sinistra adducuntur eorum Regum ac Principum exempla, qui ab alijs morte sunt affecti. Nemo enim horum prodicione hac in re vsus est. Et huius quidem perfidia exempla Hamiltonius à maioribus repetebat. Iacobum I. Scotiæ regem dum per Angliam in Galliam contendit, Flamburgi ab Anglis duodeviginti annis detentum, nec prius nisi graui perfoluro lytro, dimissum. Macolmum IV. ab Henrico II. ad præstandum de Northumbriæ Ducatu homagium euocatum, vnâ cum fratre Gulielmo Anglorum castra in Galliam sequi coactum. Ducem Albinum Iacobi III. fratrem ab Anglis piratis captum, ægre deceptis custodibus euasisse. Quibus omnibus exemplis hoc vnum tanquam multo illustrissimum addi potest.

III. Quum nihilominus Maria in Angliam ire constitisset, Archiepiscopus frustra se obniti videns, Consilij sui, quod regina aspernaretur, publicum testimonium sibi dari voluit. Sic ergo præmissis ad Elisabetham Flaminio & Herefio, Londinum versus iter ingreditur. Verum ab Elisabetha, obuiam ei misso Francisco Cnollio satellitij præfecto, Carleoli subsistere iubetur; statimque custodes apponuntur. Color quæsitus, eo fine id factum, ne Maria in rebellium subditorum manus incidere. Atqui, ô boni, quænam illa est securitatis aut præsidij ratio, qua quis eò traditur quò ab inimicis vnice fuerat experitus? Atqui si hoc timebatur, cur non Elisabetha statim exercitum misit, & subditorum repressa rebellione, Mariam in regnum restituit? Sed aliud Mariæ intendebatur: quæ à Scrupolimitaneo Præfecto Car-

leolo Bortonum Elisabethæ iussu deducta fuit.

Morauus interea pro regem se ferens, omniumque rerum arbitrium sibi vindicans, indictis comitijs proceres qui reginæ causæ fauebant, citari iubet, & læsæ Maiestatis damnatorum bona fisco addicit: nonnullorum etiam arces cepit & præsidijs occupauit, alias quoque diruit. Eius conatibus Huntillæ, Crafordiæ, Argatheliæ, Cassilifæ & Eglintoniæ Comites, vnâ cum Hamiltonijs & alijs proceribus se opposuerunt, iusto fere confecto exercitu. Quò territus Morauus ab Elisabetha auxilia petijt: quæ ad Mariam reginam statim scripsit, vt suos ab armis, quibus salus ipsius procul dubio extreme esset periclitatura, reuocaret: quod si faceret, omne se in recuperando regno auxilium ipsi præstituram. Sic ergo Mariæ reginæ iussu Catholici ab armis discedunt, postquam Morauus promisit se nihil nisi ex comitiorum præscripto acturum: quod tamen ille minime seruauit. Mense Septembri conuentus celebratus est, cui reginæ nomine interfuerunt Ioannes Lessius Rossienfis Episcopus, Gilbertus Bruuus, Bodius, Herefius, Galuinus Hamiltonius, Ioannes Gordonius, Iacobus Cœburnus: ab hæreticis adfuerunt Orcadam Episcopus, Robertus Percarnius, Mortonius, Lindesius, Iacobus Macgillius, Robertus Duglassius, Henricus Balnauus, & Georgius Buchananus. Ab Angliæ regina missi sunt Thomas Hauartus Norfolciæ Dux, Comes Suffexiæ, Rudolphus Sadlerius, & alij nonnulli. In hoc conuentu quum post longam de mandatis disputationem, nihil omnino esset decretum, Elisabetha omnium rerum ad se reuocato arbitrio, iudicis partes sibi vindicauit. Maria ad dicendam coram deputatis illis causam euocata suos misit quidem, prius tamen protestata se neque illorum neque Elisabethæ iurisdictioni subesse: ideoque id nec sibi nec posteris aut regno fraudi esse debere. Ibi de cæde mariti obiecta per legatos suos ita se purgavit, vt aduersariorum calumnia non sine ipsorum ignominia facile appareret. Quare Elisabethæ Commissarij non solum omnia diligenter in acta retulerunt, verum etiam Elisabethæ fideliter narrarunt, cito persuasi, Mariam extra culpam, aduersarios vero participij reos esse. Elisabetha vero vt captiua sibi elaberetur minime concessura, Morauum, Mortonium, Lindesium & reliquos grauitè increpat, quod segnitè in causa ha-

nus versuti essent quam si persequi non cessarent ad optatum finem ipsa perductura esset. Primum ergo Buchananus rebellium rogatu famosum contra reginam libellum conferebat. Reginam quippe oderat, quod ab ejus patre Jacobo V. ob Lutheranismum (unde postea ad Calvinismum, & tandem ad atheismum devenit) regno fuerat eiectus. Idem deinde rerum Scoticarum Historiam ita corruptit, ac tot calumniis & mendaciis referit, ut hodieque liber iste toto regno sit interdictus. Cupide nihilominus illum Angli acceperunt, ac statim per Galliam, Germaniam, & alias regiones magno numero distribuerunt. Ad obiecta quidem Mariæ Legatis facile erat respondere, sed moniti, Elisabetham id unice agere ut Maria vel innocens rea perageretur, rogarunt ut præfenti adversariis respondendi fieret potestas. At rebelles nihil minus fieri cupiebant, quam ut præfens regina audiretur interim Elisabethæ animum odiis ac suspicionibus accendere non cessabant. Quum ergo iudicium protelaretur, nec Maria ad respondendum admitteretur, præcipui Angliæ procerum adversarios ea quam reginæ intencabant pœna afficiendos esse non obscure murmurabant.

IV. Moravius ne faba in se euderetur veritus, ad novas inde proditiōnes artes se convertit. Quare Norfolciæ Ducem adit, & Mariæ reginæ matrimonium ostentat, à quo non dubitaret quin nec ipsa, nec universus Scotorum populus abhorreret. Et hæc quidem inter vicinos populos pacis conficiendæ ratio, commodissima videbatur: sed mox in Norfolcii exitium venit. Moravius accepta non mediocri à Norfolcio pecunie summa, ac libro comearum, tum reginæ etiam litteris, quibus illa suos ab actionibus contra Moravium in Scotia institutis desistere jussit, antequam discederet, rem omnem Elisabethæ exponit, & quanto id cum ipsius periculo futurum sit ostendit, neque enim dubium esse, quin Norfolcius homo potens & ambitiosus, tam Angliæ quam Scotiæ regem facere se conaturus sit. Illa Moravium quæro animo esse jubet. Norfolcii ambitionem propediem se repressuram. Quo minus vero etiam reginam Mariam evertat, Galliæ regem sibi obstare, cujus inimicitiam merito reformidet. Inter Elisabetham & Moravium convenerat, ut Scotiæ regnum inter ipsos divideretur: utque Moravius regem puerum in Angliam mitteret, ipse vicissim Mariam in suam acciperet potestatem. Ex inde Maria multo arctiori custodia fuit inclusa. In Scotiam reversus Moravius

reginæ liberandæ imprimis cupidum se simulat, & convocatâ Nobilitati, matrimonium quod inter Norfolcium & Mariam tractaretur proponit: missus, interim Roberto Melvino, qui de reginæ voluntate certum aliquod testimonium afferret, quod deinde contra ipsam uteretur. Et Norfolcius quidem promissis Moravii deceptus, per litteras eum monuit, ut promissum sibi cum Maria regina matrimonium maturaret: cui ille novis iterum promissis onerato, amice respondit, litteras interim Norfolcii ad Elisabetham misit: quæ hominis jam ante sibi suspecti, ut qui Catholicis non obscure favebat, & capitalem contra Mariam sententiam pronuciare recusaverat; tollendi occasionem amplexa, in turri Londinensi securi percussus, edita ad populum causa, quod se invita matrimonio cum captiva Scotiæ regina tractasset: quum tamen constaret, ejus rei Elisabetham quoque non ignaram fuisse, nec ab eo consilio initio abhorruisse. Sed credibile est diffidentia abreptam, longe alium animum postea induisse.

V. Interea dum Norfolcius in Angliam ad supplicium producit, in Scotia de Moravii eade consilia ineuntur. Tardus quidem ad pœnas Deus est, sed tarditatem illam supplicii gravitate compensat. Sic Moravius nihil minus quam se mortalem esse cogitans, & nominis similitudine inflatus (nam & ipsi Jacobo Stuardo nomen erat) pro ipsissimo Scotiæ rege se ferens, immo Angliæ quoque regnum somnians, repente & uno ictu fuit eversus. Is paullo ante in Angliam ad Elisabetham miserat Robertum Percarnium, Fermelinoduni Abbatem, qui ea quæ Moravius in regni administratione gesserat, à regina approbari ac rata haberi impetraret. Mox ab Elisabetha missus Thomas Randolphus Moravio exposuit, ab Angliæ Parlamento Mariam ob crimen læsæ Majestatis jam capitis damnatam esse: ideo præcipue, quod in Gallia Lotharingorum Principum, capitalium Calvinisticæ religionis inimicorum instinctu, Angliæ insignia usurpasset. Quod quidem nuncium ut Moravio gratum erat, ita sententiæ executionem tam diu differri, vehementer displicebat. Interea Elisabetha Moravium urgebat, ut ad regni fines sibi præsto esset, & uti convenerat, regem puerum traderet, Mariam vero in suam acciperet potestatem. In eo dum est Moravius, dumque Letha Edimburgum proficiscitur ut puerum inde deduceret: Calvinista quidam Nobilis, Jacobus Hamiltonius nemines vindicandæ à Moravio acceptæ injuriæ cupidus, eum